

complexu suo semen repositum, & elicit herbescentem ex eo viriditatem. Videbis campos nitidissimos suavissimis floribus coopertos, agros frugiferos, arborum fructiferarum proceritates, nemorum ac sylvarum varietates, & plantarum diuersarum pulchritudinem, quarum alie semper virent, alie hyeme nudate verno tempore frondescent. Quid dicam de fontibus, de fluuiis, de metallis, de mari, de gemmis & margaritis, de iniis illis, quæ elementa dicuntur, & de concretis ex illis, quæ corpora mista appellantur? Omnia hæc & alia diuinæ sapientie monimenta nos ea intuentes, & contemplantes ad Dei notitiam suo modo perducunt. Sunt enim omnia in numero, & mensura, & pondere à Deo disposita, ut capite 11. libri Sapientie literæ diuinæ restatur. Sunt etiam in rebus creatis quedam diuinitatis vestigia, quorum contemplatione ad ipsius cognitionem poterimus peruenire. Pueri & impetiti homines videntes literas auro ornatas, variisque coloribus depictas, illic detinentur, nec ulterius ad earum intelligentiam progrediuntur. Res creatæ sunt pulchræ literæ, qui autem solum earum intuentur pulchritudinem, intelligentiam non curantes, cum pueris & hominibus omnino indolis comparantur. Lege eas, quoniam ipse te docebunt, summum, optimum, pulcherrimum, & sapientissimum esse earum creatorem, quem debes toto animo colere, & diligere, & summa obseruantia venerari. Ipse te ducet ad tantæ pulchritudinis auctorem. Vi linearum in circulo & extremitate, quam vocant circumferentiam, nos ducunt ad punctum, quod centrum vocatur, à quo deducuntur: sic creaturæ in hoc mundi globo nos proferunt ad Deum, a quo veluti à centro dimanant. Et quoniam antiqui sapientes per centrum significabant Deum, qui est simplicissimus, & actus purissimus, & per circulum mundi fabricam creaturarum formam, ac dignitatem ornatam, aiebant, bonitatem esse in centro, pulchritudinem autem in circumferentia: species enim & pulchritudo re-

rum creaturarum à Dei bonitate tanquam à fonte fluit, atque delabitur. Ac ut radij solis oculos nostros ad ipsum solem posunt protrahere: sic res creatæ animos nostros ad Deum cogitatione, & cognitione perducere. Omnia enim illa quorum proprium est ab alio deduci, docent esse aliquid, à quo ipsa sunt, & illud tandem à nullo, ne in infinitum fiat progressus. Hæc intelligens Eusebius Cæsariensis libro quarto euangelicè demonstrationis: Ex creaturis, inquit, ille qui oculis cerni non potest, quasi in quadam speculo contemplandus apparet. Idem multis & amplis verbis ostendit Athanasius in oratione aduersus idola, & Chrysostomus in primo Genesis caput. In explanatione in psalmum vigesimo sexto ait ita Augustinus: Circumice caelos vsque ad terram, nihil relinquant: vndique tibi omnia resonant conditorem. Ipse species creaturarum voces sunt quædam creatorem laudantes. Homilia prima in Hexameron ait in hunc modum Basilius: Multum diuina eruditionis hominibus officina est sine dubitatione ac commodatissima, & isdem ad cognitionem Dei provehendis totius eruditionis domicilium appositissimum. Et homilia vndecima eiusdem operis: Vniuersa, inquit, hæc mundi moles perinde est, ac liber literis exaratus palam contestans, ac prædicans gloriam Dei, illiusque amplissimam maiestatem alioquin absconditam, & inuisibilem. Nec solum Theologi Christiani, sed etiam gentium philosophi hoc asseruerunt. Plato longè omnium philosophorum & copia dicendi, & grauitate sententiarum, & eruditionis præstantia princeps hæc verba in libris legum scripta reliquit. Terra, sol, sidera, ipsa vniuersitas, temporum quoque varietas ornatissima, annis, mensibusque distincta Deum esse ostendunt. Galenus in libro de historia philosophi: Dei, inquit, notionem habemus ex operum illius pulchritudine, & excellentia. Euripides: Stellæ in caelo varietates sunt fabri sapientes. Marcus Tullius de responsis aurspicum. Quis est tamen vecors, qui cum suspexerit in caelum

Similitudo.

Euseb.

Athana. Chryso.

August.

Basilius

Plato.

Galen.

Euripi. Tullius.

Sap. 11.

Similitudo.

Similitudo.